



# Disputatio juridica inauguralis de muro communi

<https://hdl.handle.net/1874/345233>

31.

J. N. D. N. J. G.  
DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**MURO COMMUNI,**  
*QVAM*,  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**  
Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,  
NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissime  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS**  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examini subjicit*  
JOHANNES GERHARDUS à GOOR, Clivô-Westph.  
*A. D. 3. OCTOBRIIS hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiarum  
Typographi, clc XCIII.

WILLHELMO  
DOMINO  
BENTINCK  
Domino in Roon & Pe-  
necourt &c Regio Count  
jusio & Cupiculio, Tunc  
& Biede Sartes: tummo  
Bretasius Salvator Piz-  
tego, Petrusius & co-  
curs Exercitus Duc  
Domino meo Clemensissimo

Here follows a poem in Latin  
written by a monk in Tunc  
Carmen Benedictum in Tunc  
tummo canticum collatae Venerabili

D.D.

Postrema Gallarum e Goo  
Auctor.

AL  
DISPUTATIO IURIDICA  
IN AGRAVIA  
DE  
MURO COMMUNI

M. JOHANNIS EUSDENI

Pipilopolis Dogore, & Iudaei Sogor in Iulijii  
Academis Utroque Iuris Facultatis Ordinarii

Nec non

PRO GRADU DOCTORATUS  
UTROQUE IURE Humanis & Privatis

JOHANNES GUTHRIUS & GUDOR CIVICUS MUSICO  
Ex Officina Otorina per mea precia levata



TAVELLA 19 Rahnini

Ex Officina FRANCISCI HALMA Academici  
Tabellippi, 13 Jucxci.

*Illusterrimo & Generosissimo*  
**D O M I N O**  
**W I L H E L M O**  
**B E N T I N C K ,**  
Portlandiæ, Woodstoci, Ci-  
rencestriæ Comiti & Baroni,  
Domino in Roon & Pen-  
drecht &c. Regio Consi-  
liario & Cubiculario, Lingæ  
& Bredæ Satrapæ : summo  
Batavarum Sylvarum Præ-  
fecto, Prætorianorum & to-  
tius Exercitus Duci.

Domino meo Clementissimo

*Hanc disputationem inauguralem ob ingentia  
Gratiæ beneficia in Parentem, totamque  
familiam clementissime collata submisse*

D. D. D.

JOHANNES GERHARDUS à GOOR,  
AUCTOR.

*Nobilissimo , Amplissimo atque  
Consultissimo DOMINO  
W I L H E L M O  
à SCHUYLENBORG,*

Domino in Duckenborg ,  
Magnæ Brittanniæ Regis  
Confiliario , Secretario &  
Graphiario , Hoog-Heem-  
raad in Delfts-Land , Patro-  
no meo in æternum colendo.

*Hasce Theses inaugurales in grati animi  
tempore ea quā par est observantia*

Dedicat & offert

JOHANNES GERHARDUS à GOOR.  
*Auctor.*

Wopiliuus, Ambiliuus videlicet  
Cogniliuus Domino  
WILHELMO  
SCHULENBORG.  
Domino in Dakeupot,  
Magus Brictianus Regis  
Cognitio, Secundum ag  
Glaubio, Hoog-Heem-  
laag in Deffts-Land, Pato-  
no meo in ecclesiam cognito.

Hoc Epistola inveniatur in libro annis  
septuaginta ab anno 670 usque ad 730  
Decimus et quartus  
Johannes Gherardus f. Goor  
Vulgari

Quod Deus bene vortat! 3 DISPUTATIO JURIDICA

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

# MURO COMMUNI.



A quæ necessaria & utilia , inqne foro & iudicio frequentissima propter sui ipsius commendationem non negligenda , sed plenus potius attingenda , ab Ulpian. in l. 1. pr. ff. de suspect. tutor. recte dictum , & à Paulo in l. 25. ff. de libertat. leg. bene approbatum esse , neminem sane dextrè judicantium inficias iturum arbitror ; quis enim est , qui utilia fugiat , aut quis potius , qui ea non studiosissime persequatur , inquit Cicero lib. 3. de Offic. Quare hæc nobilissima juxtim , & utilissima , inque usu fori , seu praxi ferè quotidie incidens materia de muro communis , præ reliquis digna fuit visa , ob quotidianas lites & contentiones inter vicinos , in ædificando vel exstruendo pariete orientes , teste experientiæ paucis de hac , non quod dignitas , & amplitudo illius requirit , sed quod ingenii tenuitas , judiciique imbecillitas permittit , agere , & Eruditorum disquisitioni , pro more , subjecere mihi volupe est .

## THE SIS I.

Murus five paries (idem enim significant l. 157. ff. de V. S.) duobus modis communis dicitur , vel communis pro divisò , vel pro indiviso .

I I.

Murus pro indiviso communis est quandoque ex societate expressa , videlicet , quando duo concretitum parietem ædificant , ad onera

## 8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

onera utriusque ferenda , arg. l. 30. §. 13. ff. pro soc. quandoque ex societate tacita , v. gr. Titius tignum immittit parieti ultra dimidium , etiam & Cajus. Titius utitur muro quantum sibi expedit , ita & Cajus. Sic re contrahitur societas tacita in pariete ; arg. l. 35. ff. de damn. infest. l. 4. pr. & l. 31. ff. pro soc. Cœpoll. in tract. de S. U. P. cap. 40. n. 11. Weizenegger. dissert. 3. cap. 4. n. 13.

## I N U M M O C O R U M

Pro divisio paries communis dicitur , quando murus est inter Cajum & Titium , & nihil per Cajum & Titium est immisum , & si quid sit immisum , missum non perforat dimidium muri , quod est à parte Titii , arg. l. 19. pr. ff. comm. divid. l. 36. ff. de S. U. P. l. penult. ff. pro soc. & l. 8. ff. de A. R. D. Cœpoll. d. cap. 40. n. 12. Qui murus Gallis vulgo vocatur *moitoyen*. Et hic pro divisio communis est , utrū ē regione utriusque dominorum est , & sic pro dimidiā parte cuiusque est , adēd ut unus ē regione suā , & alter ē suā , pro dimidiō ferendis oneribus , aliterque uti tantum possit , nam in totum non est communis , prout habetur in text. express. d. l. 19. pr. ff. comm. divid. Chopin. lib. 1. tit. 4. n. 9.

IV.

Frequens autem est dubitatio , an , & quando paries , qui inter vicinorum prædia est ædificatus , præsumatur communis inter ipsos vicinos , vel proprius alterius eorum ? Et cognoscitur id maximè ex signis , his parietibus apponi consuetis , ad significandum & demonstrandum , an proprius , vel communis sit paries .

## V.

Quemadmodum enim nomina inventa sunt , ut res demonstrentur l. 7. ff. de suppeli. leg. l. 10. C. de ingen. & manumiss. ita & signa , l. 3. C. de fabricens. Hinc apud Romanos servi , qui venum exponebantur , piled capiti imposito , ostendi consueverant : ut scribit Gellius lib. 7. noīt. Attic. cap. 4. Ita ex stigmate militem , ex habitu clericum , ex stola ficerotem , quæ propria eorum sunt signa , certè cognosci tradit Bald. in l. directis C. de testam. milit. Deinde in o. causam matrimonii

14. n. 3. *X. de probat.* Et praxin egregiam recognoscendi , cuius sit cadaver occisi , cuius facies dignosci non possit , ut stigmata inspiciantur , docuit Bart. in d. l. 3. C. de fabriciens & Anton. Corset. in sing.

## V I.

In dubio enim his signis adhibenda est fides , atque ita præsumendum , sicut signa indicant ; rei vero alienæ quicquam imponere non licet , quod si vero quid impositum sit , præsumitur imponentem jus imponendi habuisse : *Mascard. de probat. concl. 1149. Menoch. lib. 6. præsumpt. 73. n. 1. & 2. Cœpoll. n. 13. & seqq.* Et si jure haud potitus , quid immiserit , dominus parietis , immisum propriâ auctioritate tollere , vel destruere potis est per *tex. express. in l. 29. §. 1. in fin. ff. ad l. Aquil. l. 22. §. 2. ff. quod vi. Cœpoll. predict. tract. cap. 30. n. 8. & seqq. Mev. ad *Jus Lubeck. lib. 3. tit. 12. art. 3. n. 2. Bertrand. vol. 1. pag. 2. conf. 79. n. 3.**

Ubi addit rationem , quod turbatus in possessione , tollere possit omne impedimentum : adjicitur autem illa limitatio , si in continentia fiat destructio , secus si ex intervallo fiat. *Cravet. conf. 154. n. 4. Carpan. in statut. Mediolan. p. 2. cap. 335. n. 37.*

## V I I.

Signa autem , ex quibus murus proprius , vel communis judicatur , varia tradunt *Cœpoll. n. 13. 14. & seqq. Mascard. de probat. concl. 1144. Corn. vol. 4. conf. 78. Decius conf. 388. & multi aliis Dres.* Nos quædam tantum , brevitatis causa , hic recensemus.

## V I I I.

Et primum quidem signum aliis magis manifestum est , quando paries habet inscriptionem , quod ille fuerit exstructus ab aliquo , suo sumptu , his vel similibus verbis : Hoc opus fecit fieri &c. tunc enim ille murus ejus proprius , nec non communis præsumitur ! . 2. §. fin. & l. fin. *de oper. publ. Cœpoll. n. 16.* Res enim ad eum pertinere dicitur , qui fecit impensam c. 6. *X. de religios. domib. Menoch. lib. 6. præsumpt. 11. confer. Weizenegg. dissert. 3. cap. 4. n. 14. Manti-*

*zinius in tract. de mur. comm.*

B

Si

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

## IX.

Si vero in murō vel pariete picta, vel sculpta sunt insignia, ejus præsumitur, cuius sunt insignia: arg. d. l. 2. §. ult. & l. ult. §. 1. ff. de oper. publ. Weizeneg. d. n. 14. Mascard. prealleg. loc. n. 11. Menoch. loc. iu. n. 5. & seqq. ubi, adductis exemplis ostendit, signa & nomina præsumptionem & conjecturam facere, res illorum esse, quorum insignia vel nomina sunt inscripta, vel imposita. Itaque responsum tulit Jason. lib. 2. conf. 170. colum. 4. Ex vexillis, seu insignibus Familia Mediceæ, seu Reipubl. Florentinæ, navibus impositis, illas præsumi prædictæ esse Reipub. Itaque & ballæ mercibus onustæ, eorum esse dicuntur, quorum signaculo signatae sunt, Mascard. de probat. concl. 160. n. 1. & conol. 551. n. 1. Menoch. lib. 3. præsumpt. 64. n. 6. Paul. Christin. vol. 2. decis. Cur. Belg. 109. n. 2. Et domus, cui affixa sunt insignia gentilitia, probatur esse illorum, quorum sunt illa insignia, Mascard. d. concl. 551. n. 3. Klock. vol. 1. conf. 16. n. 13. Hinc quoque insignia, armaque insculpta Ecclesiæ, arguunt jus Patronatus: Menoch. lib. 3. præsumpt. 130. n. 31. & lib. 2. præsumpt. 59. n. 2. Klock. cit. concl. 16. n. 14. Et maniorum Dominium Principis esse censetur, cuius insignia & arma. in iis depicta deprehenduntur Roll. à Valle. vol. 2. conf. 84. n. 24. & seqq.

## X.

Porrò si ex latere unius tignum est immisum & hoc, in parietem ultra dimidium ejus, tunc ejus præsumi esse parietem, cuius est tignum immisum, nisi aliud in contrarium appareat, tradit Cæp. n. 17. Martinus Pegius, interpres Cæp. §. men mach auch. Quod si vero tignum non excedat dimidium muri, tunc communis præsumitur, Cæp. d. n. 17. qui sic declarat l. 8. ff. de S. V. P. Corn. lib. 1. conf. 184. colum. 2. Tēsaur. decis. 219. n. 1. Multò magis autem communem præsumi parietem, si tigna à duobus, ad dimidium muri tantum, sunt immissa, docet Mascard. concl. 1149. n. 4. Quod & jure statutario Antwerpiensi receptum esse, titulus est. 62. van Erscheydinge, servituen, en des daar aan kleeft. art. 38. cui sunt conformes consuetudines Bergen-op-Zomme tit. 19. art. 33. Ita & in Franciâ practicari, testatur Duret in lib. des Alano. &c. §. 503.

Quod

Quod si exstant fenestræ , penetrantes totum murum , à parte unius tantum , illius præsumitur paries : si vero fenestra est communis , vel plures sunt servientes , una uni vicino , altera alteri , hoc casu , paries communis præsumitur pro indiviso ? *Cæpoll. n. 13. Gloss. in l. 12. ff. comm. divid.* per signum enim cognoscitur signatum : Et quando ex latere unius est fenestra perforata , ex latere alterius autem aliud invenitur signum , nihilominus communem præsumi murum , tradunt infrascripti Dres , quia tantum operatur signum unum , quantum & alterum : *Soc. Sen. dict. loc. n. 3. Berous. lib. 3. cons. 132. n. 1.* Id ipsum & satis clare expressum est in *consuetud.* *Antwerp. d. tit. 62. ibi.* maar als eenige biecken leggen , of vast zijn gemaakt in een muer , en dat er over de andere zijde , in den selven muer , mosier-gaten staan , word die muer gehouden voor gemeen .

## X I I.

Præterea quando foramina , vel fenestræ cæcæ & imperviæ , murens-gaeter , of blinde vengstren , à Coementariis & murariis in pariete , non clam , nec insciò vicinò incisæ , sed simul cum pariete exstræ , & fornicatæ , à parte unius saltem exstant , illius præsumitur esse murum proprium , nisi alia signa in contrarium appareant : Et si illa ab utraque parte exstant , murumque ultra dimidium penetrant , paries communis censetur pro indiviso ; ast si medietatem haud excedant , pro divisio : *arg. l. 29. ff. de A. R. D. sicut & Veronæ observari testatur , Cæpoll. n. 14. Boer. cons. 5. de consuetud. Bunnig. n. 9.* Vide est *Leges Municipales Mechlinienses* tit. 14. art. 13. Cauti ergo sint ædificantes , ut , murum proprium exstruentes , talia foramina , ultra medietatem muri porrigan , adeoque cuique liquere possit , proprium esse murum ædificantis ; si vero communem exstruere sibi proposuit , saltem foramina ad medietatem extendat . *Cæpoll. d. n. 14. vers. unde sis cantus. Manz. dict. tract. n. 7. in fin.*

## X I I I.

Sic & , si murus in inferiori parte crassior , in superiori vero , ut

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

fieri solet, tenuior existat, vel in totum satis tenuis sit, attamen pro ipsius sustentatione, hinc inde crassities aliqua, quam nos een pylaar appellamus, inveniatur, tunc versus quem ejusmodi sustentacula respicunt, ejus murus esse præsumitur, juxta dec. Costuymen van 's Hertogen-Bosch cap. 9. van Erfcheydinge, servituten en rechten den Paelmeesters aangaande art. 12. Verbis: Item soo verre in een muer, staande tusschen twee Erven, bevonden woorde in eene zijde blinde vengsteren, visier, ofte mosier-gaten, nooten of pylaaris, met der selver muur gemaakt, soo word sulken muur geagt en gehouden, toe te behoren den geene, aen die zijde daar die staan. Et huic est conformis consuetudo Antwerpensis. dicit. iii. 62. n. 37.

## X I V.

Item si in supremitate muri crassioris, vel super prædictis prominentibus sustentaculis, op den pylaren, reperiuntur lateres, vel tegulæ hamatae, vel scutulatae, ad avertendas pluvias appositæ, vñc versus quam partem sece inclinantes inveniuntur, ejus murus esse præsumitur: quod plerumque in hortis, areis, aliisque muris improtectis frequens appetet. Quia in re satis cauti sunt murarii, ut, si murus aliquis satis firmus, & sibi quad crassitatem per totum similis, atque ejusmodi sustentaculis & tegulis declinantibus careat, saltem unum, vel alterum lapidem, extra murum prominentem, & magis exorrectum relinquant, seu kranksteen, cui declivem tegulam, vel laterem imponunt.

## X V.

Cæterum & parietes, sive muri contermini vicinorum, seu limitibus summiatim impositi, communes sunt: arg. §. 31. Inst. de R. D. Corras. lib. 4. cap. 16. Alciat. in l. quantum ff. de V. S. & pro iis tanquam communibns præsumitur, nisi proprietas probetur, vide l. 9. C. de privat. edific. & l. ult. C. fin. reg. Quod & consuetudine Antwerpensi receptum est per præalleg. tit. 62. art. 36. verbis: Scheidmuuren zijn gemeen, ten sy dat i schriftelijk, of ander bescheid, of teeken zy ter contrarien. Cui sunt conformia Statuta Bergen-op-Zomæ d. tu. 9. art. 31.

Denique

## X VI.

Denique quando paries contentiosus, est conjunctus alteri parieti alicujus proprio eadem magnitudine; dominium ejus muri, ad eum pertinere creditur, cuius est paries non contentiosus. *Crotus conf. 153. n. 17. & 18. Manz. d. tract. n. 18. Menoch. lib. 6. presumpt. 73. n. 18.*

## X VII.

Prædicta quidem signa etiam locum habent, si saltem exstant in una parte parietis eodem tempore exstructi: Nam totus ille paries talis præsumitur, qualis judicatur illa pars in qua signa exstant, quippe unus est murus, unum autem & idem, non potest diverso jure censeri: *Cæpoll. n. 18. Menoch. loc. cit. n. 19.* Ubi idem esse putat, quando paries diverso tempore fuit auctus vel longitudine vel latitudine, per text. in l. 23. ff. de S. U. P. ubi servitus ne luminibus officiatur simpliciter constituta, generaliter ad omne lumen pertinet, sive quod in præsenti, sive quod post tempus conventionis contigerit. Contrarium vero respondit *Cæpoll. n. 18.* scil. quod murus, diversis temporibus in longius & latius productus, in ea tantum partem communis censetur, in qua tigna, vel alia signa reperiuntur, quia aliis murus est, qui de novo ædificatus est, per text. in l. 23. §. fin. ff. de S. U. P.

## X VIII.

Cum vero multa & varia signa & indicia, ex utraque parte parietis concurrant, pro uno autem plura, quam pro altero, hoc casu *Menoch. lib. 6. presumpt. 73. n. 19.* pluribus deferendum esse respondit, per rationem, quod duæ causæ concurrentes, plus operantur unâ; per §. 2. *Inst. de adopt. & l. 10 C. qui test. facer. poss.* Nos salvâ Menochii sententiâ, opinamur, hoc casu, evidenterib[us] & efficacioribus deferendum esse, una enim ratio quandoque prævalet duabus *arg. l. 15. pr. ff. de offic. testam. l. 7. §. 1. ff. unde liber. Tessaur. decis. 219. n. 4.* Atquè in his signis & indiciis discernendis, multum fidei adhibetur finium regundorum magistris, architectis atquè mu-

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

rarius, tanquam in arte peritis : quod & praxis hodierna observat ; teste *Christin. ad LL. Municipal. Mechliniens. tit. 14. art. 13. n. 3.* vide & *de Coftuymen der Stad 'sHertogenbosch cap. 9. van Erf-scheidinge, servituten, en rechten den Paalmeesters aangaande*, art. 1. § 2.

## XIX.

Si autem in pariete, nullum ex supradictis vel aliis similibus, existet signum, quo cognosci seu praesumi possit, murum vel esse unius proprium, vel communem, ast unus vicinorum est in quasi possessione illius tanquam proprii : Hoc sane casu, ejus praesumitur murus, qui est in quasi possessione, sed si ambo sunt in quasi possessione, tunc paries communis praesumitur *Castr. lib. 2. conf. 133. n. 1. § 2. Cœpoll. conf. 35. n. 8. in civilib.* Quid si nec existent signa, nec quasi possessio unius vel alterius ; tunc & parietem communem praesumi tradit *Socin. Sen. lib. 4. conf. 44. colum. 2.* nam quicquid & intra fines inter prædium unius alteriusve, commune praesumitur : *arg. l. 19. pr. ff. comm. divid. & d. l. penult. ff. pro soc.*

## XX.

An autem communis paries, praesumatur communis pro divisò, vel pro indiviso? Inter Dres. non convenit : *Menochius lib. 6. presumpt. 73. n. 26. Corn. lib. 2. conf. 96. n. 17. Mascalard. de probat. consol. 1144. n. 13.* & alii ; affirmant, communem parietem indubio praesumi communem pro divisò, imprimis si quis est in quasi possessione parietis pro divisò; nisi contrariae sint praesumptiones & conjecturæ, v. gr. quando paries adeo tenuis est, ut super eò aedificari haud possit ; & hoc casu praesumitur pro indiviso communis? Bart in l. 8. ff. de S. U. P. *Corn. lib. 1. conf. 184. colum. 2.* Verum Christinæus ad *LL. Municipal. Mechliniens. tit. 14. art. 18. n. 6.* tradit, murum communem in dubio praesumi communem pro indiviso. Nos posteriorrem opinionem amplectentes sequimur in eò communem praxin ubique, sicut & in judicando semper observavit Senatus Mechliniensis, teste *Christin. dict. loc.*

Vidi

## XXI.

Vidimus superius quotuplex sit murus communis, & quomodo atque ex quibus signis cognoscatur; videamus nunc, quid possit, vel non possit quis facere in muro communi? Positio hæc sit firma, quod in mure communi nemo dominorum quicquam facere, vel inædificare possit, invitò alterò, arg. l. 28. ff. comm. divid. quia in re communi, potior est conditio prohibentis, C. in re 56. de R. J. n. 6. nisi sit tale quid, quod jus alterius non lædat, arg. l. 19. ff. de S. U.P. vel si quis velit eò uti ad destinatum usum, §. 9. Inst. de R. D. Hinc unus sociorum rei communi servitutem imponere vel acquirere nequit. l. 2. & l. 11. ff. de servit. Wesenbec. de servit. n. 9. nisi omnes id simul & eodem tempore faciant arg. l. 6. §. 1. & l. fin. ff. comm. divid. coll. l. 11. ff. de S. P. R. Ad servitutis enim acquisitionem requiritur dominium in solidum non pro parte indivisiā arg. d. l. 11. ff. de servit.

## XXII.

Quæritur autem an unus sociorum invitò consocio, in mure communi ædificare, cumque altius tollere potis sit? Quæ quæstio à Marcellò in l. 11. ff. si servit. vend. proponitur; Ad quam cum Cæpolla n. 19. distinguendo respondemus: Aut vicinus ædificare destinat ad eum usum, ad quem paries paratus atque destinatus est; aut ædificare animus est ad alium, quam ad destinatum usum parietis communis. Priori casu, in mure communi ædificare, atque eum altius tollere permisum est, obloquente licet consocio per text. express. in l. 12. ff. comm. divid. l. 52 §. 13. ff. pro soc. Francisc. Pfeil. cent. I. conf. 58. n. 7. Joh. Daurb. de testament. n. 260. vers. aut quarimus: Fontanell. de pact. nupt. cl. 4. gl. 9. p. 2. n. 2. & 3. Gil. allegans l. 16. §. 1. ff. de R. V. de pignorat. ob. 20. n. 9. Mevius ad Jus Labeo. lib. 3. tit. 12. art. 4. n. 6. quod verum, etiamsi prohibenti noceam. l. 24. §. fin. & l. 26. ff. de damn. insect. Felicius de societ. cap. 28. n. 21. Posteriori casu, si interest prohibentis non ædificari, melior est conditio prohibentis arg. l. 13. in fin. pr. ff. de S. U. P. coll. l. 28. ff. comm. divid. Tessaur. decis. 41. n. 13. Christin. vol. 1. decis. 210. n. 8. Si vero non nocet prohibenti, sed ædificanti prodest, socius in mure communi, invito & consocio, ædificare valet. arg. l. 13. §. 1. & l. 19. §. 1. 2. ff. de S. U. P.

vide

vide Petr. de Ubald. de duob. fratrib. Quod & jure statutario Antwerp. d. tit. 62. art. 42. confirmatur. cui sunt conformes leges Municipal, Mechliniens, d. tit. 14. art. 17. & consuetudines Sylvæ-Ducum cap. 9. art. 16. ibi: Item een yegelijk is geoorloft, te doen hogen in lengte ende dicke, op sijn selfs kosten, sonder wederseggen van sijn gebuer &c.

## XXIII.

Secus autem est, si paries inferior, superaedificatum sustinere nequit arg. l. 24 ff. de S. U. P. aut si nocet socio, & sua non interest: Cœpoll. n. 20. Pegasus cap. 16. §. fars erste & §. fars ander. vel si neutrius in eò versatur utilitas, aut is, qui aedificat, velit id, quod parieti communii adjicitur, suum esse Weizenegg. dissert. 3. cap. 4. n. 17. Boër. conf. 5. n. 24.

## XXIV.

Quæritur an propè parietem communem aedificare volens, hodie teneatur relinquere duos pedes? juxta decisionem l. fin. ff. fin. regund. Negativam defendunt multi docentes d. l. fin. hodie in desuetudinem abiisse; quorum opinionem rectè approbat Bald. vol. 2. conf. 348. n. 5. Berojus vol. 3. conf. 134. in fin. Novizan. conf. 58. n. 2. Riminald. fin. conf. 369. n. 22. & seqq. Tessaur. decis. 115. n. 3. Brunne- man. in d. l. fin. n. 3. Contrariam, sed meā quidem opinione, erro- neam sequuntur alii, volentes d. l. fin. adhuc hodie observari Natta. conf. 277. Surd. conf. 74. n. 11.

## XXV.

Prædicta autem intelligi volumus de muro pro indiviso communi; verum enim verò in muro pro diviso communi, quilibet, in- vito etiam consocio. aedificare, eumque altius tollere potest arg. l. 25. ff. de S. U. P. quisquis enim habet medium partem muri usquè ad medietatem crassitie, ita ut propriè communis non sit, ergo cuilibet in sua mediâ parte aedificare, atque tigna immittere licet arg. d. l. 25. §. 1. ff. de S. U. P. Cœpoll. n. 19. & interpres ejus, Pegasus §. ob aber. Grot. Introd. cap. 34. n. 2. Idem & tenet Weizenegg. dissert. 3. cap. 4. n. 17. atque id Monachii, aliisque in locis quotidie observari testa-

testatur : modò id non fiat in alterius sui vicini injuriam animoque nocendi , atque non utilitatis vel necessitatis suæ gratia. Talis enim immutatio , quæ non prodest ædificanti , & alteri nocet , prohiberi licet per text. in l. 38. ff. de R. V. & l. 1. §. si denique , ibi si non animò nocendi ff. de aq. pluv. arcend. l. 3. ff. de oper. publ. & c. Pisanis de restit. spol. atque ibi Dres. Jason. cons. 98. n. 1. vol. 1. Tesaur. decis. 41. n. 2. in fin. Klock. vol. 2. conf. 24. n. 33. Societatis enim humanæ vinculum non permittit , ut alteri simus damno &c noctumento l. 7. ff. de serv. exporr. Verum in dubio quilibet præsumitur ædificare ad suam utilitatem principaliter , & non ad æmulationem alterius l. 24. §. fin. & ibi Bart. & aliis ff. de damn. inferend. ideoque alleganti æmulationem incumbit probatio Gail. lib. 2. obs. 69. n. 31. Menoch. lib. 6. præsumpt. 29. In dubio autem præsumptio æmulationis non est adversus ædificantem juxta doctrinam Majcard. de probat. concl. 620. n. 1. quod modo æmulatio prætensa probetur? docet Gail. d. obs. 92. Majcard. dict. loc. n. 2.

## X X V I.

Axioma juris gentium generale est , omne quod solo inædificatur , solo cedere §. 25. Inst. de R. D. l. 50. ff. ad l. Aquil. l. 49 §. 1. ff. de R. V. l. 2. l. eod. l. 7 §. 10. ff. de A. R. D. idque non solum in solo , sed & in pariete obtinet , nam & huic super ædificatum fit ejus , cuius paries est arg. l. qui supra tuum 28. ff. de A. R. D. l. 2. C. de R. V. unde si inferior muri pars communis est , & superædificatum commune sit. Vetus cons. 53. n. 36. & vendicans ædificium , non necesse habet probare se ædificasse , vel suo mandato ædificatum esse , sed sufficit dominium inferioris partis probasse Majcard. de probat. concl. 589. n. 1. & segg. Ast queritur , quid si murus communis habilis ad ferendum onera , sit elevatus pecuniâ unius socii , tenetur nè convicinus solvere dimidium expensarum? Et putamus quod non; quia inædificatum cedit suo fundamento , sicut ædificatum in solo alterius , cedit illi solo arg. l. 28. ff. de A. R. D. l. 5. C. de adfic. privat. ita nec scienter ædificant in muro communi , sumptus repetere potest , idem enim juris est de toto quoad totum , quod de parte ad partem , & contra arg. l. 76. ff. de R. V.

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

en potius minimi initivis suis non ibit : ut si  
minimis T. tanta cum elevatis muri non erit, illis or  
rididitoribus.

X X V I L

Nequè socium & tunc dimidium expensarum, in ædificandò  
factarum, repetere posse concludit Cœpolla cap. 401. n. 3. cum &  
postea alter muri elevato inædificare, vel tigna immittere velit,  
quia per primam elevationem murus factus est communis, atqui  
ubi factus fuerit communis, nemo dominorum prohibere poterit,  
quominus alter quidquam faciat in re communi, secundum tex  
tum in l. in re communi ff. de S. U. P. l. hoc quod dictum esse in fin. ff. eod.  
l. 12. ff. comm. divid. Tessaur. decis. 41. n. 21. Job. Baptif. Costa de ration  
rate: quæst. 50. n. 1. Et seqq. ubi simul objectionibus à Cœpollâ,  
citato loco, motis respondet: Quod & docent Consuetudines Mech  
linienses pre alleg. tit. 14. art. 18. verbis: Ende indien de gebuer recht  
hebbende in den selven gemeinen muer, namaal sijn huys oproffen en hoogen  
wilde, soo mag hy met sijn huys en metselarye in den gemeinen muer va  
ren, sonder yet te geven, of betalen voor 't hoogen van den voorseyden  
muer, &c.

I V X X

## X X V I I I

Aequitati autem magis convenire arbitramur, ut, si socius in  
muro pro indiviso communi per alium elevato, tigna immittere,  
vel cum altius tollere velit, solvere cogatur dimidium expensarum  
à primò elevante factarum; jure quippe naturæ æquum est, nemini  
cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem arg. l.  
206. ff. de R. 9. præterea & negotium ejus à primò elevante utili  
ter gestum est, ideoque tenebitur & actione negotiorum gestorum  
per text. in l. 6. pr. l. 27. & l. 37. ff. de N. G. nec refert, an tempore  
primæ elevationis negotium non fuerit utile, sufficit quod nunc sit  
utile.

X X I X.

Quod si vero socius in parte tantum muri pro indiviso communi  
elevati ædificare, eamque altius tollere velit, tenetur duntaxat  
solvere pro ratâ muri, juxta quam ipse intendit ædificare arg. l. 2.  
§. 5. ff. de religios. Et sumpt. funer. coll. l. 56. ff. de A. R. D. Idem & do  
cent

IVXX

C

Cent Statuta Antwerpiensiæ predict. tit. 62. art. 47. ibi: En ingevalle, dat dien gebuer sijn huis ook opvoeren wilt, maar niet soo hoogh, als sijn gebuer opgevaren is, soo sal hy het hoogsel van die maere, dat sijn gebuer opgevoert heeft, half beialen, maar niet hooger, dan hy 't selve hoogsel gebruikende is.

## XXX.

Fenestras in muro pro indiviso communi facere, atque per eas lumina aut prospectum petere, nemini vicinorum licet arg. l. 13, l. 26. & l. 40. ff. de S. V. P. Cui & conformes sunt confuetudines Antwerpienses art. 32. & Mechlinienses art. 14. ibi: Niemand en mag vengstren maken, of licht of gesicht nemen, door of in een gemeene muer. Quod verò unus vicinorum murum communem altius sustulerit, licet inaedificatam commune fiat, ut supra dictum, in elevato tamen fenestra aperiri, & lumen immitti potest l. 25. in fin. ff. de S. V. P. Cœpoll. cap. 62. §. 4. quod & Statuto Antwerpiensiæ tit. 33. permisum: limita tamen, nisi hoc fiat ad emulationem aut despectum vicini v. gr. si quis ideo in muro communi elevato fenestram immittat, ut in vicini ædes, aut aream prospicere, aut pueram, vel monachas, vel moniales juxta habitantes in conspectu habere possit, nihil inde aliud latus, quam ut officiat l. 3. ff. de oper. publ. Gail. lib. 2. obs. 69. n. 26. & ita tenent communiter Dres. in l. alius C. de servit. Et ag. quod enim nocet alicui in proprio facere non licet, multo minus in communi arg. l. 17. §. 5. ff. si servit. vind. & l. 1. §. 11. ff. de ag. Et ag. plur. Deinde drougandus nocte vicini

Sic & in muro pro indiviso communi elevato, immissas fenestras, obscurare consocio permisum esse opinamus arg. l. 9. & l. 40. ff. dg. S. V. P. l. 8. C. cod. nam quod commune est, pro eo jure, quod ad me spectat, meum est. arg. l. 239. §. ult. ff. de V. S. Cœpoll. dict. cap. 62. n. 5. Ubi, ita de facto Veronæ observari testatur: Consuetudinibus vero Antwerpiensibus statuitur, ut, si socius dimidium expensarum muri elevati solvat, alter fenestras in muro elevato modo factas removere vel obscurare teneatur. antedict. art. 33. ibi: maar die op een genanten Erve, endent tot sijn kosten, alleen eenen muer maakt,

## 20 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

maakt, of den gemeene muere hooge, mag in den selven muere by hem bekostigt, gaten of vengstren maken, en licht scheppen boven reyes, en met ysere geerden, en staande glasen, die ook mogen blijven staan, tot ter tijd toe, dat de gebuere de heft van 't maken of hoogsel van den selven betaalt, en alsdan is by schuldig die te stoppen.

## X X X I I.

Nemo vicinorum, invito altero, parietem pro indiviso communem demoliri potest arg. l. 8. ff. de S. P. V. quia solus dominus non est, & hoc ipso communio tollitur. Sed queritur,anne alteruter vicinorum invito altero, murum communem infirmum ad onera imponenda sustinendum demoliri, & jactis melioribus fundamentis, iis de novo inaedificare valeat? Et respondemus, quod, si socius ad eum usum aedificare velit, ad quem paries paratus est, fundamenta vero superaedificatum sustinere non valeant, totum murum demoliri, & novum meliori fundamento innixum reaedificare possit arg. l. 12. ff. comm. divid. nec obstat l. 28. ff. eod. quoniam textus ille saltet continet casum, quo socius quid facere tentabat ad alium, quam ad destinatum usum. Bald. lib. 1. conf. 150. & 215. Ubi tria esse, inquit, ob quae in muro pro indiviso communis aedificare permititur: Pactum scilicet patientia, & rei natura: De hoc autem quaestione pluribus vide Boer. conf. 5. n. 16. 17. & seqq. de consuetud. Brurig.

## X X X I I I.

Denique quocunque nocet vicino, & damnum offert muro pro indiviso communis, facere non licet in muro communis; sic non licet in muro communis, vel juxta eum, facere vel habere sterquilinium, quod in vulgari appellatur necessarium, neque cloacam, propter humorem & malum odorem, qui nocet vicino, damnumque affert muro communis arg. l. 19. pr. & fin. l. 13. pr. ff. de S. V. P. l. 17. §. fin. ubi Brunneman, ff. si serv. vind. Menoch. conf. 43. n. 15. Ita quoque nec furnum pistorium, vel latrnam, aut tubulos muro communis adstruere permisum est, per text. in l. 13. pr. ff. de S. V. P. & l. 27. §. 10. ff. ad L. Aquil. ubi in factum actio datur, si paries exustus sit, & proinde, si nondum damnum datum sit, ob justum ignis metum de damno futuro satisfatio danda, aut furni aedificium diruendum est, l. 24. §. 7. ff. de damn. infect. Quod

## DISPUTATIO JURIDICA 21

Quod si vero tale quid muro communi adstruere velit, tenetur ad-  
jicere parietem sesquipedali crassitudine, eumque ita communire, ne  
communis paries, aut vicinus inde damnum aut nocumentum sen-  
tit; quod & dictitant Consuetudines Antwerpienses art. 54. Mech-  
linenses art. 15. Sylvæ-Ducum cap. 9. art. 15.

### XXIV.

Quod si autem de facto aliquid ex supradictis, vel simile quid,  
in muro pro indiviso communi ædificatum, vel adjectum sit; du-  
plex datur vicino actio: aut agere potest ad demolitionem, aut ad  
damnum & interesse arg. l. 26. ff. de S. U.P. Et quidem si socius,  
ignorante vel prohibente consocio, aliquid ad ejus læsionem fecit,  
tollere tenetur id, quod inædificatum aut adjectum est, arg. l. 28.  
in fin. & ibi Goibofred. in verbis prohibendi &c. ff. comm. divid. præfer-  
tim si agentis intersit l. 261. in fin. ff. de S. U.P. si vero socius, non  
prohibente socio, cum posset, ædificaverit hoc casu, actione com-  
muni dividendo conveniri potest: ad damnum refaciendum, non  
vero ad demolitionem arg. d. l. 28. ubi Papinianus dicit, sed etsi in  
communi prohiberi socius à socio, ne quid faciat, potest: ut tamen  
factum opus tollat, cogi non potest, si, cum prohibere poterat,  
hoc prætermisit: & ideo per communi dividendo actionem dam-  
num sarciri poterit. Ratio autem, cur hoc casu detur actio com-  
muni dividendo, & non confessoria vel negatoria, hæc est: quod  
hæc actiones competant pro servitutibus; quod vero socius com-  
mune habet, id jure dominii, non jure servitutis habet, ergo  
actione communi dividendo hoc casu potius agendum est. arg. l. 4.  
ff. de servit. leg. & in re communi nemo dominorum jure servitutis  
quid facere potis est, nec prohibere, quominus alter quid faciat,  
nulli enim res sua servit arg. d. l. 26. ff. de S. U.P.

### XXV.

Parietis communis refectione, vel reparatio ad eos pertinet, quo-  
rum communis est; secundum naturam enim est, ut quem sequan-  
tur commoda, eum & incomoda sequi æquum esse arg. l. 10.  
ff. de R. 7. idque communibus & æqualibus utriusque partis sumptu-  
bus arg. l. 12. ff. comm. divid. Cœpoll. dict. cap. 59. n. 7. nempe cum  
æquales sunt singulorum partes, pars enim communionis de-

22 DISPUTATIO JURIDICA

terminat ratam impensæ : Hinc pro dominicis partibus ad ea onera saltrem tenentur l. 40. §. 2. & 3. ff. de damn. infect.

XXXVI.

Et quidem murus communis reficiendus est ad pristinum statum, hoc est, ne quis eum dilatet, aut producat, aut deprimat, aut exaggeret, quod propriè dicitur reficere arg. l. 3. ff. de iusne. acturè privat. quod & docent statuta Antwerpensiæ tit. 27. Mechliniensia art. 12. item & de Costuymen van Bergen-op-Zoom tit. 19. art. 20.

XXXVII.

Aliquando & socii à Magistratu cogi possunt, ad refectionem muri communis, scil. si damnum transiuntibus timetur, vel si murus antiquitate caducus deformitatē inducit civitati. arg. l. 46. ff. de damn. infect. idque ad Praesides pertinere responsum est in l. 7. ff. de offic. Praesid. Jacob. Cujac. lib. 19. obs. cap. 20. Charend. lib. 2. resp. 79. Hartm. Pistor. lib. 3. quast. 15. n. 7.

XXXVIII.

Et in refectione necessariâ, unus socius, etiam obloquente altero, murum ruinam minantem in totum, vel pro parte demoliri, ipsumque reficere potest, prout necessitas exigit. l. 12. ff. comm. divid. l. 35. ff. de damn. infect. Tessaur. decif. 41. n. 14. Garsias de expens. cap. 19. n. 10. & seqq. atque ita in Consilio Brabantico judicatum fuisse testis est Paul. Christin. vol. 4. decif. 146. n. 9. confer. Brunneman in l. 28. n. 5. ff. comm. divid. Non incognitum quidem est, in re communis prohibentis causam potiorem esse l. 1. pr. ff. de suspect. tutor. Sed hæc regula cessat, si agatur de ædificiï vel muri refectione, publicè si quidem interest, illud refici, ne urbs ruinis deformetur l. 6. C. de edific. privat. Faber. in Cod. lib. 3. tit. 26. def. 1. Et reficiens contra contumacem, & dimidium expensarum solvere recusantem, agere potest ad restitutionem expensarum pro rato : arg. l. 4. de adiſio. privat. de quibus tamen expensis, deductio fieri debet omnium eorum, quæ ex primo pariete in novum sunt immissa : arg. l. 38. in fin. & l. 39. §. fin. ff. de damn. infect.

131  
§ 3

Sed

## XXXIX.

Sed quid, si socii inter se certent de refectione, unus præ alio murum communem reficere volens? Hoc casu, aut unus parietem communem reficere, sibi proponit ad majorem quantitatem, quam prior fuit: alter vero ad pristinum statum; & hic præferendus est in refectione. Aut quilibet reficere cupit ad primum statum, diversis tamen modis: & is præferendus est, qui magis idoneè atque utilius pro communi usu reficere vult. *I. 41. ff. de damn. infect.* idoneè autem reficere dicitur is, qui non peccat in extremo, nam omne extreum laudabile non est, secundum Philosophos. *Angel. in I. 13. pr. colum. 3. vers. restat videre ff. de S. U. P.*

## XL.

In hoc autem nècessariæ refectionis faciendæ casu, cautelam suggerit *Tessaur. dut. ditt. 41. n. 14.* ut, reparandi laborem suscipere volens, interposita judicis auctoritate, per peritorum inspectionem cognoscere faciat, an reparatio, quam intendit, sit necessaria. Et tunc socio, parietem communem refectione indigentem, restauranti, alterius socii, qui primum pro faciendâ reparatione interpellatus fuit, per quatuor menses, ratam expensarum factarum portionem, non solventis pars, quam in muro communij habet, in solidum cedit atquè ad crescit, *I. 4. C. de adfisc. privat. I. 52. §. 10.* & ibi *Brunneman. ff. pro soc. Marant. de judic. p. 4. ditt. 9. n. 102. Surd. conf. 43. n. 19. Tessaur. decis. 41. n. 3. Capoll. de S. U. P. cap. 59. n. 1. Berlich. decis. 194. n. 3.*

## XL. I.

Imo socius contra contumacem, & communem parietem reficere recusantem tria habet remedia. Primum, petitionem sortis cum usurâ centesimâ. Secundum, dominii alterius partis acquisitionem, elapsis tamen quatuor mensibus. Tertium, interesse petitionem, puta, si reficiens suum magis quam damnum muri refecti consequi atque habere malit *arg. I. 52. §. 10. ff. pro soc. Capoll. ditt. cap. n. 8. Berlich. citat. decis. 194. n. 5.* Et hoc ultimo casu nihil ini-

iniquius esset, quam si socius, murum communem refici sciens, & tacens, impensarum refusionem denegaret, cum & ille socius, qui scit, pro utilitate communi à consocio rem aliquam emi, & fileat, emptionem ratificasse dicatur adeoque ad portionem pretii obligetur *Tiber. Decian.* vol. 2. resp. 29. n. 26.

## X L I.

Carolus quidem Molinæus in *tract. de usur.* n. 27. contendit, allegata jura, quibus cautum est, partem socii, rem communem reficere detrectantis, consocio reficienti attribui, hoc nostro tempore exolevisse, & non amplius observari. Idemque apud Gallos, & Belgas receptum esse, testatur *Groeneweg.* in l. 4. C. de *adfic. privat.* Sed & Garsias de *expens.* cap. 19. n. 4. ait, duram semper harum legum constitutionem visam fuisse viris juris-sanctissimis, quasi iniquitatem continere videantur. Hisce patribus tamen contradicit in terminis, quamvis iisdem in usuris centesimis calculum adjiciat *Caspar. Klock.* vol. 2. conf. 67. n. 13. & seqq. & vol. 3. conf. 148. n. 39. ubi plures sibi suffragantes adducit, quibus addendus *Brunneman.* in *dict. l.* 52. n. 19. ff. pro *soc.*

## X L I I.

Notandum ad hoc, ut dicta jura obtineant, requiri 1. refecctionem esse necessariam, non utilem. *Garsias de expens.* dict. cap. 19. n. 19. vers. *deinde res.* *Klock.* cit. conf. 67. n. 17. 2. Ut refectio fiat communi sociorum, & non reficientis nomine proprio: *Berlich.* *decis.* 194. n. 18. 19. & 25. *Thoming.* *decis.* 94. n. 3. & 4. Idque allegato in hanc rem præjudicio, indifferenter docet *Carpz.* p. 3. const. 15. *def.* 47. per tot. impensas scil. proprio nomine factas, non esse imputandas communioni. Declaratoria non esse opus ad hoc, ut non reficientis socii pars alteri acquiratur vide apud *Cæpoll.* cit. cap. 59. n. *Berlich.* *decis.* 194. n. 10.

## X L I V.

In dubio quidem dicendum est, socium non suo, sed communis nomine refecisse *Cæpoll.* *alleg.* cap. 59. n. 10. *Berlich.* *decis.* 94. n. 21.

Cau-

Cautius tamen ager reficere volens, ut alterum socium, adhibita & interposita interpellatione, ad reficiendum quoque invitet, *m. Thoming. decis. 49. n. 4. Tessam. decis. 41. n. 3. insin.*

## XLV.

Ex legibus in materia refectione muri communis allegatis, deciditur elegans & frequens casus. Due Communitates diversorum pagorum, pascua habebant in certo quodam loco communia, quibus, cum alia & tercia Communitas se quoque ingerere vellet, duæ illæ priores Communitates, huic tertiaræ item movebant sumptibus communibus; Temporis successu una prædictarum Communitatum atricium à lite desistit, & erogationem sumptuum pro parte sua detrectat, altera interim in lite capta perseverante, & causam solis suis sumptibus ad finem perducente; responsum fuit, desistentis Communitatis jus compascui vigilaci, & victoriæ processus propriis impensis obtinenti, Communitati soli deberi, adeoque alterius jus huic accrevisse *Thoming. decis. 49. pertor.* quia hoc casu, si unus atque alter liti renuntiat, vel ab ea desistit, reliquis item prosequentibus, istius portio accedit, prout in prima & secunda instantia judicatum fuit apud *Berlich. decis. 52. n. 11.* Notandum tamen prædictos textus loqui de illis, qui vel societatis, vel alio jure rem aliquam communem habent; Cæterum si quis extra communionis terminos, proprio & non communi nomine, causæ in judicio motæ cum alio tanquam actor intervenerit, etiam deinde tædio forte expensarum, vel alio obstaculo impeditus, liti tacitè renunciet, ejusdem tamen victoriæ fructus, quos alter, qui item prosecutus est, sentiet. *Berlich. decis. 194. n. 14. & seqq.* ubi ita judicatum fuisse testatur.

## XLVI.

Quæritur autem, an remedium d. l. 4. C. de adficio. privat. etiam locum habeat in illo socio, qui ædificium omnino dirutum, & collapsum, de novo reædificat? Negat id *Jason. in l. 2. n. 109. ff. de flumin.* Affirmativam tamen sequitur *Thoming. decis. 49. n. 10.* In simili materia notum est, hypothecam tacitam, quæ cum jure prælationis datur creditori, pro reparatione prædii pecuniam mutuan-

## 26 DISPUTATIO JURIDICA

ti per l. 5. ff. qui potior in pign. l. 18. ff. de privileg. cred. non dari illi, qui pro nova exstrectione ædium nummos creditit; Merlin. de pignor. lib. 3. tit. 1. quæst. 5. n. 68. Carpz. p. 1. const. 28. def. 107. ita judicatum fuisse dicens; quod &c facit Sande lib. 3. tit. 12. def. 51. confer Brunneman. in l. 1. n. 4. ff. in quib. caus. pign. tacu. contrab. Ubi simul n. 1. tradit, quid requiratur ad hoc, ut pro refectione domus, mutuanti tacita hypotheca competat.

## XLVII.

Expensæ igitur factæ in muro communi repeti possunt Carol. Ruin. lib. 4. cons. 100. n. 5. Blasius Michalor. de fratrib. p. 3. cap. 35. n. 7. quo pertinent sumptus, pro Investituræ renovatione expositi. Michalor. dict. cap. 35. n. 7. Christin. vol. 2. decis. 112. n. 5. sic & , si furnus, puteus, vel alia res publice communis, reparacione opus habent, omnes vicini, vel re utentes, contribuere tenentur, Christin. ad LL. Mechliniens. tit. 14. Garsias de expensi. cap. 19. n. 13. Costa de ration. rate quæst. 27. n. 7. & 8. Klock de contribut. cap. 5. n. 107. Cæpoll. de S. V. P. cap. 47. utrobique docent simul, an aliquis usui rei istius Communis rennitiare possit, & tali ratione contributionem sumptuum evitare?

Atque hac de frequentissima mari communis materia, propter angustum temporis scripta sufficient.



C O

# COROLLARIA.

I.

*Superioritatem territorialem præscriptione, jure publico, acquiri posse arbitramur.*

II.

*Domini territoriales, vectigali recepto, damnum viatoribus per territorium transeuntibus, à Prædonibus illatum, resarcire, aut malefactorem exhibere, de jure publico & civili obstricti sunt.*

III.

*Principi Christiano cum Turcā, aliōve infideli, fædus adversus Principem sive populum æquè Christianum pangere non licet, sed abhorrendum est.*

IV.

*Lex per Principem lata consuetudine abrogari nequit.*

V.

*Inter verbis, non re conjunctos, jus accrescendi non obtinet.*

Jus

# C O R O N A T I A

*Jus eligendi Episcopos, solis Capitularibus in Collegio,  
non autem Laicis, neque Principibus secularibus  
competit.*

## VII.

*Pax religiosa per Concilium Tridentinum minimè subla-  
ta est, nec frangi potuit.*

## VIII.

*Fæminam per masculi existentiam semel exclusam extin-  
cto masculo, ad feudi successionem admitti, statue-  
re haud veremur.*



FINIS